

Exod. 12, quæst. 56, et Matt. 26, quæst. 44. Fundamentum ejus est, quia Exod. 12, cum sit sermo de emptio, absolute dicitur: *Circumcidetur et sic comedet*; de advena autem, alienigena et mercenario simpliciter dicitur: *Non edent ex eo*; et solum in fine additur conditio: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus et tunc rite celebrabit*; signum ergo est priora verba dicta de emptio non fuisse conditionata, sed absoluta.

11. Inter has opiniones hæc posterior videtur minus consentanea verbis Genesis, ubi eodem modo et contextu comprehenduntur vernaculi et emptitii, et omnes, qui non essent de stirpe Abrahamæ, vel, ut habent Hebræa: *Natus domi et possessus argento ex omni alienigena, qui non de semine tuo ipse, scilicet circumcidetur*; non ergo recte constituitur differentia inter hos; præsertim cum verba Exodi non cogant, quia, ut dixi circa secundam opinionem, licet forma verborum sit diversa, tamen facile possunt ad eundem sensum reduci. Aliæ vero duæ opiniones sunt quidem probabiles, et si recte expendantur, in utraque est aliquid verum; et fortasse auctores earum non sunt admodum inter se contrarii.

12. *Opinio tenenda.* — Exod. 12. — Mihi ergo in primis videtur, præceptum circumcisionis datum esse non solum quantum ad illos, qui erant de stirpe Abraham, Isaac et Jacob, sed etiam quantum ad omnes, qui ad populum illum qualitercumque pertinebant. Verba sunt fere D. Thomæ in 4, d. 4, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 4. Et rationem adhibet, quia circumcisio fuit signum distinguens populum Dei ab aliis; ergo oportebat, omnes, qualitercumque pertinentes ad illum populum, esse circumcisos. Sed hoc præcipue confirmant verba Genesis, ut circa primam opinionem declaratum est. Atque ex hac generali assertionem colligitur, quod ad infantes attinet, de quibus in Genesi præcipua fit mentio (nam de adultis nulla fit mentio) omnes, qui absolute et simpliciter essent in potestate Abrahamæ, fuisse circumcidendos ex vi præcepti, quia verba præcepti id sonant; et nulla est conditio, quam subintelligi necesse sit. Hujusmodi autem erant servi infantes, vel pretio empti et a parentibus separati, vel domi ex ancillis Judæis nati; imo et alii omnes pertinentes ad familiam ejus, qui essent sub ejus tutela et cura, eo quod essent parentibus

orbati, quia hi omnes erant simpliciter sub potestate Abrahamæ, ejusque voluntate et arbitrio poterant gubernari; de aliis vero infantibus, qui erant sub cura parentum, idem iudicium erit, quod de parentibus ipsis. Igitur, quod ad adultos pertinet, non existimo debuisse, nec potuisse Abraham quemquam ad circumcisionem cogere; et primum de mercenariis res apparet clara ex 12 Exodi, ubi aperte supponitur, non fuisse necessarium, mercenarios esse circumcisos; et ideo prohibentur edere phase. Eadem autem ratio est, de omnibus aliis famulis non servis; nam hi omnes mercenarii dici possunt. De servis autem in primis est fere eadem ratio; nam etiam in eodem capite supponitur, eos licite potuisse esse circumcisos; ideo enim dicitur: *Circumcidantur et sic comedant*, id est, si comedere volunt; præterea nullum est expressum præceptum, quod hujusmodi adultos obligaret ad circumcisionem, aut quod tribueret facultatem Abrahamæ ad cogendum illos, ut circumciderentur, aut ad expellendos eos de domo sua, si circumcidi nollent; hæc autem, cum sint tam violenta et gravia, non sunt asserenda sine expresso præcepto. Præterea, quia non est verisimile Deum ullo modo voluisse, aliquem adultum, hoc ipso, quod esset servus Judæorum, potuisse cogi vel compelli ad suscipiendum onus legis antiquæ; ergo neque ad suscipiendam circumcisionem, quæ erat professio illius legis antiquæ; nam servitus solum est obligatio quædam civilis; unde non est, cur ratione illius possint cogi homines ad legem supernaturalem. Adde circumcisionem fuisse solemnem fidei protestationem; fides autem esse debet voluntaria; et ideo nemo adultus ad eam recte cogitur, nisi ratione alicujus sacramenti seu characteris prius sit ad illam obligatus, sicut supra dictum est, tractando de baptismo; in qua re eadem certe ratio est de circumcisione; quapropter debuit etiam in hoc figura figurato conformari. Relinquitur ergo solum obligasse hoc præceptum ad circumcidendos adultos domesticos Abrahamæ, seu alterius Judaicæ familiæ, si ipsi id peterent, vel consentirent; et idem dicendum est de filiis infantibus existentibus sub cura parentum. Atque eodem modo exponendum est, quod dicitur Exodi c. 12: *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam et facere phase Domini, circumcidetur prius omne masculinum ejus, et tunc rite celebrabit, eritque sicut indigena terræ*; non est enim

verisimile, si aliquis paterfamilias Gentilis voluisset ad Judaismum transire et pascha celebrare, necessarium illi fuisse, non solum seipsum, sed etiam omnes domesticos suos, etiam adultos, circumcidere, eos cogendo, si opus esset; hoc enim, et per se est incredibile, et valde alienum ab ea voluntate, qua et fides et ejus professio suscipienda est; intelligendum ergo est debuisse prius circumcidere omne masculinum suum, quantum in ipso esset, seu quantum ab illius voluntate dependeret, prout explicatum est; ergo in eodem sensu obligabantur Judæi ad circumcidendos omnes domesticos suos; nam quoad hoc æquiparantur proselytus et Judæus, ut patet ex verbis subjunctis: *Eritque sicut indigena terræ*. Dices: ergo etiam Abraham non debuisset, nec potuisset cogere Ismael ad circumcisionem, si ipse nollet consentire; probatur sequela, quia jam eo tempore Ismael erat adultus; tredecim enim annos impleverat, ut dicitur Genesis 17. Respondetur, in primis non esse eamdem rationem, quia illa lex directe data est Abrahamæ et filiis, ac posteris ejus, ut patet ex illis verbis: *Hoc est pactum meum, quod observabitis inter me et vos, et semen tuum post te*; nam illud pronomen, vos, quod sæpe ibi repetitur, indicat, legem illam directe datam esse Abrahamæ et posteritati ejus; postea vero extensa est ad alios domesticos, quasi secundario; et ideo magis obligabat filios, quam servos. Unde omnes intelligunt, pœnam illam impositam transgressori illius legis in illis verbis: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo*, pœnam, inquam, illam solum ad filios Abrahamæ et Judæorum pertinuisse; sive exponatur, juxta sensum August., de infantibus et de pœna damni, quam patiebantur propter originale peccatum non remissum ex defectu circumcisionis; sive, juxta communem opinionem, fortasse magis litteralem, intelligatur de adultis et de pœna mortis, cujus essent rei propter transgressionem illius legis; alii enim adulti alienigenæ non incurrebant illam pœnam, sed solum posteris Abrahamæ; hac ergo de causa potuit fortasse Abraham cogere filium Ismael ad circumcisionem sub illa pœna mortis, quia Deus lege sua illum immediate obligavit, et Abraham erat tunc supremus Rex et Pontifex illius familiæ, ad quem spectabat divinam legem exequi. Sicut quando Deus præcepit Abrahamæ interficere Isaac filium suum, si ipse noluisset consentire, potuisset

pater illum cogere ad exequendum mandatum Dei. Secundo, non censeo inconueniens concedere sequelam, et consequenter Ismael non fuisse circumcisum sine suo consensu, neque fuisse cogendum sub pœna mortis, si repugnaret, quia est valde probabile pactum illud circumcisionis directe editum esse cum Abraham et semine ejus, quod in Isaac et per Isaac propagandum et congregandum erat in peculiarem Dei populum; ad Ismaelem autem non fuisse extensum, nisi quatenus tunc pertinebat ad domum et familiam Abrahamæ; et ideo non aliter fuit obligatus Abraham ad circumcidendum Ismael, quam cæteros adultos domesticos suos; secus vero est de Isaac, respectu Esau, quia hic natus est post latum præceptum circumcisionis, et potuit octavo die circumcidi, quando non oportebat ejus consensum expectare; et in hunc sensum accipienda sunt, quæ paulo superius diximus.

ARTICULUS III.

Utrum ritus circumcisionis fuerit conveniens (4, dist. 1, quæst. 2, art. 3, quæst. 1, et art. 3, quæst. 2 et 3; et Joan. 7, lect. 2, col. 5, et Rom. 4, lect. 2, col. 3).

1. *Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod ritus circumcisionis non fuerit conveniens. Circumcisio enim, sicut dictum est (art. 4 et 2 hujus quæst.), fidei quædam professio est. Sed fides in vi apprehensiva existit, cujus operationes maxime apparent in capite. Ergo magis debuit signum circumcisionis dari in capite, quam in membro generationis.*

2. *Præterea, ad usum sacramentorum assumimus ea, quorum est communior usus, sicut aquam ad abluendum, et panem ad reficiendum. Sed ad incidendum communius utimur cultello ferreo, quam petrino. Ergo circumcisio non debuit fieri cultello petrino.*

3. *Præterea, sicut baptismus instituitur in remedium originalis peccati, ita etiam circumcisio, sicut Beda dicit (in hom. Circumcisionis, inter princ. et med., in hom. totius anni reperies). Sed baptismus non differtur usque ad octavum diem, ne pueris periculum damnationis immineat propter originale peccatum, si nondum baptizati decedant; quandoque etiam traditur baptismus post octavum diem. Ergo circumcisioni non debuit determinari octavus dies, sed debebat quandoque præveniri, sicut etiam quandoque tardabatur.*

Sed contra est, quod Rom. 4, super illud: Et signum accepit circumcisionis, determinatur

in Gloss. (ord. super illud, Signum accepit circumcisionis), *prædictus circumcissionis ritus.*

Respondeo dicendum, quod, sicut dictum est art. præced. hujus quæst., circumcisio quidam signum fidei est, institutum a Deo, cujus sapientiæ non est numerus. Determinare autem convenientia signa, est sapientiæ opus. Et ideo concedendum est, quod ritus circumcissionis fuit conveniens.

Ad 1 ergo dicendum, quod circumcisio convenienter fiebat in membro generationis. Primo quidem, quia signum erat fidei, qua Abraham credidit Christum ex suo semine nasciturum. Secundo, quia erat in remedium peccati originalis, quod per actum generationis traducitur. Tertio quia ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ, quæ præcipue in membris illis viget, propter abundantiam delectationis venereorum.

Ad 2, dicendum, quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcissionis; unde non invenitur tale instrumentum præcepto divino determinatum. Neque etiam communiter tali instrumento Judei utebantur ad circumcidendum, sicut neque modo utuntur. Leguntur tamen aliquæ circumcissiones famosæ, cultello lapideo factæ, sicut legitur Exodi 4, quod tulit Sephora acutissimam petram et circumcidit præputium filii sui; et Josue 5 dicitur: Fac tibi cultellos lapideos et circumcide secundo filios Israel. Per quod figurabatur, circumcissionem spirituales esse fiendam per Christum, de quo dicitur Cor. 40: Petra autem erat Christus.

Ad 3, dicendum, quod octavus dies determinabatur circumcissioni tum propter mysterium, quia in octava ætate (quæ erit ætas resurgentium) quasi in octavo die perficietur per Christum spiritualis circumcisio, quando auferet ab electis non solum culpam, sed etiam omnem pœnalitatem; tum etiam propter tenebritudinem infantis ante octavum diem. Unde etiam de aliis animalibus Levit. 22 præcipitur: Bos, ovis et capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub ubere matris suæ; die autem octavo et deinceps offerri poterunt Domino. Erat autem octavus dies de necessitate præcepti, ita scilicet, quod octavum diem præmittentes peccabant, etiam si esset sabbatum, secundum illud Joan. 7: Circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex Moysi. Non tamen erat de necessitate sacramenti, quia si aliqui omittebant octavum diem, postea poterant circumcidi. Quidam

etiam dicunt, quod propter periculum imminens mortis, poterat octavus dies præveniri. Sed hoc nec ex auctoritate Scripturæ, nec ex consuetudine Judæorum haberi potest. Unde melius dicendum est, sicut etiam Hugo de Sancto Vict. dicit (potest colligi ex lib. 4 de Sacram., part. 12, cap. 2, a med.), quod octavus dies nulla necessitate præveniebatur. Unde super illud Proverb. 4: Unigenitus eram coram matre mea, dicit Gloss. ord. ibi, quod alius Bersabæ parvulus non computatur, quia ante octavum diem mortuus, nominatus non fuit, et per consequens nec circumcisisus.

COMMENTARIUS.

1. *Rationes cur in ea parte corporis circumcisio fieri præcepta sit.* — De triplici conditione, seu cultu illius sacramenti quæstionem movet D. Thomas. Prima est pars illa corporis, in qua circumcisio fieri præcepta est, cur scilicet in occulto et pudendo corporis membro voluerit Deus signum illud ponere; nam si datum fuit ad distinguendum fidelem populum a cæteris, convenientius videretur datum in manifesta et decenti corporis parte, v. gr., in capite, præsertim quia ibi melius significaret Christum caput nostrum, et fidem Abrahæ parentis credentium, qui circumcissionem accepit, tanquam signaculum fidei suæ, ut dicitur ad Rom. 4. Atque huc etiam spectat inquirere, cur voluerit Deus partem humani corporis abscindi, cum in ea nullum sit vitium, neque etiam sit superflua, cum per se sit ex institutione naturæ, et non sit excrementum. Denique cur datum sit in tenera ætate tam doloriferum signum, et quo possent facile infantes periculo mortis exponi; propter has enim causas pleræque gentium, ut eleganter tractat Ambr., epist. 77, et Cypr. etiam refert serm. de Ratione circumcission., *tam factum quam mandatum irrident, et Deo minime asserunt convenire, ut Salvatoris benignitas plagis infantium delectetur, et immeritos in ipso vitæ initio periculo mortis addicat. Verum (ut Cypr. prosequitur) cum opus istud, et antiquitas commendat, et jubentis auctoritas, nemo prudens ac fidelis dubitare potest, quin convenienter institutum sit; etiam si fortasse mens humano plenam ejus mysterii rationem assequi non possit; neque enim divinæ providentiæ altitudo humanis rationibus metienda atque comprehendenda est; sufficit ergo pro ratione Dei voluntas et sapientia. Nihilominus Patres semper fuerunt*

solliciti in inquirenda ratione hujus mysterii; nam et Damas. Papa inter alias quæstiones hanc Hier. proposuit in quadam epistola, quæ est 124, inter epist. Hieron., de qua, ut ille statim refert, epist. 125, copiose ac magnifice disputarunt Tertull., Novatian., Orig., quorum rationes neque ipse refert, neque suam profert, sed rem totam ad eorum opera remittit, in quibus nunc pauca reperimus; nam, licet Tertul., lib. contra Judæos, cap. 3, aliqua de circumcissione disputet, nihil tamen de hoc peculiari puncto scribit; opus autem de circumcissione, quod habetur inter opera Hieron., tom. 9, licet aliqui existiment esse Tertulliani, tamen verisimilius creditur esse Paulini, aut Maximi, vel alterius, qui post Manichæorum hæresim scripserit, quorum ibi fit mentio. Origenes vero, quamvis de circumcissione tractet, cap. 4 ad Romanos, tamen, quod ad præsentem quæstionem spectat, solum dicit carnalem illam circumcissionem signum fuisse spiritualis circumcissionis, quæ non in carne suscipitur, sed in corde. Ex Judæis autem Philo in lib. de Circumcis. sex attulit rationes hujus mysterii, quæ in eo videri possunt; nam quatuor illarum valde materiales sunt, ut sic dicam; aliæ vero morales continentur in his, quas D. Thom. hic attigit in solut. ad 4, quæ in hac re sunt præcipuæ. Prima est, quia circumcisio fuit signum fidei Abrahæ, qua credidit Christum ex ipso nasciturum, et ideo posita fuit in generationis organo, quoniam Christus ex Abraham secundum carnem producendus erat, et hoc est, quod dicitur Genes. 17: *Circumcidetis carnem præputii vestri, ut sit in signum fœderis inter me et vos;* fœdus enim præcipuum inter Abraham et Deum fuit, quod Deus illi promisit, Messiam ex ejus semine venturum; ipse autem credidit Deo, et reputatum est illi ad justitiam; et ideo ut dicitur ad Rom. 4: *Signum accepit circumcissionis, signaculum justitiæ fidei,* illius scilicet, qua credidit promissioni sibi factæ, ac semini ejus, ut hæres esset mundi. Secunda ratio D. Thom. est, quia circumcisio erat in remedium peccati originalis, quod per actum carnalis generationis traducitur. Quæ ratio sumpta est ex Hug. Vict., lib. 4 de Sacram., part. 12, cap. 2, et aliis adjuncta est probabilis; tamen per se non est efficax, tum quia etiam baptismus est in remedium originalis peccati; tum maxime quia licet ex circumcissionis institutione consecutum sit, ut in ea deleteretur originale peccatum, tamen non

constat propter hunc finem esse primario institutam. Tertia ratio est, quia circumcisio ordinabatur ad diminutionem carnalis concupiscentiæ; quæ ratio duobus modis potest intelligi, scilicet, efficaciter (ut sic dicam), aut significative; efficaciter intelligo, id est, quod ipsamet circumcisio per se fuerit remedium efficax ad minuendam concupiscentiam; et hoc, si intelligatur de efficacia naturali, non est probabile, nec verisimile, quia abscissionem illius particulæ corporis ex se nihil existimo posse conferre ad minuendam delectationem carnis, vel concupiscentiæ motus, qui non ex illa carnis particula, sed ex interna facultate, aliisque naturalibus qualitatibus oriuntur. Si vero intelligatur de spirituali efficacia, quatenus gratia, qua peccatum originale remittitur, potens est ad minuendam concupiscentiam fomitis, quanquam hoc verum sit, non tamen bene accommodatur ad prædictam rationem, tum quia circumcisio in hoc nullam haberet efficaciam; et, licet in ea daretur gratia, non tamen ratione sui, sed ex ratione seu promissione communi sacramento legis naturæ; tum etiam quia in hoc sensu nihil fere distingueretur hæc ratio a præcedenti. Magis ergo existimo, rationem illam intelligendam esse significative; nimirum circumcissionem datam esse ad significandum, carnis concupiscentiam per Christum, ejusque gratiam, minuendam atque superandam fuisse; et ideo datam esse in ea parte, in qua magis hæc concupiscentia viget; vel (quod perinde fere est) ideo in ea parte datam esse, ut hi, qui populo Dei adscribuntur, et cum ipso perpetuum fœdus ineunt, intelligant, sibi esse carnis concupiscentiam amputandam, aut saltem mortificandam et superandam. Quam rationem latissime prosequitur auctor libri de vera Circumcissione inter opera Hier., et Cypr. dicto serm. de Circumcissione, ubi inter alia inquit: *Tenera infantia hujusmodi erat imbuenda doctrina, et ante concupiscebiles motus, quos peccatum meruerat, etiam in parvulis adhibenda erat severitas; ideoque dolor voluptati, et sanguini delectationis sanguis tormenti opponitur, ut in primis elementis discerent parvuli, semper propriæ memores sectionis, contraria curare contrariis.* Addit etiam Damasc., lib. 4, cap. 26, circumcissionem non utile aliquod, aut necessarium corporis membrum, sed supervacaneum excrementum abscidisse, quia non utilis cupiditas, sed peccatum, quod cupiditatis est excrementum, resecandum significatur; neque enim

feri potest, ut quisquam omnino non concupiscat, aut voluptatis omnino sit expers; verum, quod in voluptate nulli usui est, hoc est, inutilis concupiscentia et voluptas, hoc circumcidendum ostenditur. Neque multum ab hac ratione differt, quod sæpe Patres dicunt, ut supra retulimus ex August., ep. 200 et 203, et aliis, circumcisionem, scilicet carnalem, spiritualem præfigurasse; cui addi potest ex libro de vera Circumcisione inter opera Hieronymi, ideo datam esse in ea parte, in qua, veluti in virtute, et semine, totus homo continetur, quia totus homo spiritualiter circumcidendus est. Addit August., 47 contra Faustum, cap. 29, circumcisionem carnis, expoliationem mortalitatis significasse, quam de carnali generatione portamus. Unde concludit, 6 contra eundem, c. 3: *In quo membro congruentius expoliatio carnalis et mortalis concupiscentiæ figuratur, quam unde carnalis et mortalis fetus excoritur? sed sicut dicit Apostolus: Omnia munda mundis, immundis autem et infidelibus nihil est mundum.* Atque ita satis responsum est ad rationem dubitandi in principio positam; non enim fuit necessarium, signum illud esse oculis expositum, sed satis erat, quod publica et solemniter cæremonia in illo populo observaretur; imo, ut notavit auctor illius libri de vera Circumcisione, in occulto illo significatum est, vel internam justitiam, quæ illo signaculo indicabatur, in occulto potius, quam in publico esse optandam ac procurandam, vel certe ita fuisse divinitatem velandam sub carne assumpta in similitudinem carnis peccati, sicut interna fides et justitia sub illo occulto et ignobili signo delitescerent; reliqua vero, quæ in principio tangebantur, jam expedita sunt.

2. *Lapideus culter an fuerit ex præcepto.* — Secunda quæstio seu pars ritus circumcisonis, quæ a D. Thom. tractatur in 2 argum., est de cultro lapideo, quo circumcisio apud Judæos fieri solita est; de quo solet esse non parva disputatio inter auctores, an fuerit de necessitate sacramenti, aut præcepti duntaxat, quod fuerit culter ille lapideus; quod videtur sentire Magister sententiarum in 4, dist. 4, dicens de circumcissione, quod fiebat, et fieri debebat secundum legem octavo die, idque lapideo cultro in carne præputii. Ubi omnes tres ritus æque enumerat, tanquam ad circumcisionem æque necessarios. Favet etiam Magistro hac in parte August., lib. 2, de Gratia Christi, cap. 32, ubi de Christo loquens,

sic ait: *Quem circumcisio prophetavit; dies enim octavus est in hebdomadarum recursibus dies dominicus quo resurrexit Dominus; et petra erat Christus, unde circumcisonis cultellus petrinus; et caro præputii corpus peccati; idem significat auctor de vera Circumcisione, tom. 7 operum D. Hier., dicens: Cultello itaque petri corporis nostri circumcidenda est natura. Petra autem Christus est, cujus amor cultellus est, quo crescente in nobis, sæculi desideria decrescent.* Justinus etiam, Dialog. contra Tryph., sic ait: *Jesus Christus omnes eos, qui volunt, circumcidit, juxta prisca præsentia, cultris lapideis.* Fundamentum esse potest, vel quia hoc modo plenior est circumcisonis significatio, ut tactum est in verbis Augustini; vel certe quia ubicumque Scriptura in particulari explicat materiam illius cultri, docet fuisse petrinam; ut Exod. 4, ubi Sephora sumpsit acutissimam petram, et circumcidit præputium filii sui, et Josue 5 ubi dixit Dominus ad Josue: *Fac tibi cultros lapideos, et circumcide secundo filios Israel;* ergo signum est, hoc fuisse præceptum.

3. Nihilominus contraria sententia vera est et communis, scilicet, nec de necessitate sacramenti, nec de præcepto fuisse petrinum cultrum, sed ferreum fuisse sufficientem. Ita tenet D. Thom. hic, ad 2, et Hug. de S. Vict., lib. 4 de Sacram., part. 12, cap. 2, et communiter Doctores in 4, dist. 4, et expositores Scripturæ citatis locis, Genes. 17, et Josue 5. Et est aperta sententia Justini, dialogo cum Tryph., non longe a fine, cujus verba statim referam. Ratio seu fundamentum est, quia Gen. 17, ubi, et essentialis ritus, et præceptum circumcisonis traduntur, nulla fit mentio lapidei cultri; ergo non cadebat hujusmodi instrumentum sub præcepto; nam si quis præcisè faceret quod eo loco continetur, sine dubio satisfaceret illi præcepto. Et revera, si Abraham usus fuisset lapideo cultro ob aliquam significationem ex præcepto Dei, Scriptura non omisisset; non est ergo, cur id asseramus, neque de Abraham, nec de aliis Judæis in communi usu circumcisonis, quia nec nunc dicuntur uti petrinis cultris, sed ferreis. Quod ergo Sephora usa sit petra acutissima ad circumcidendum filium, non ob præceptum, ait Hugo, nec fortasse ob mysterium, sed ob festinationem et timorem fecit, quia fortasse cultellum ferreum ad manum non habuit, et quia timebat, ne infans (ut putat August., quæst. 44 in Exodum, et

lib. 4 de Baptis., c. 24), aut fortasse (ut existimat Hieron. ad Gal. 5), ne Moyses ipse ab Angelo interficeretur, noluit differre, sed statim, quo instrumento potuit, filium circumcidit. Quod vero in secunda circumcissione præcepit Deus Josue uti cultris lapideis, potius est argumentum ordinario et frequenti usu non fuisse solitam fieri circumcisionem illo instrumento, tum quia si illud contentum fuisset in primo præcepto, non oportuisset tunc specialiter exprimi; tum etiam quia hoc tunc specialiter factum est, propter singularem significationem et mysterium, quod notat Justinus his verbis: *Beati nos circumcisi cultris lapideis circumcissione secunda; nam prima illa vestra, ferro facta est, et fit, hodieque permanet in vobis eadem cordis duritia; at nostra, quæ secunda post vestram circumcisionem numeratur, fit per acutos lapides, hoc est, per verbum Apostolorum illius angularis lapidis excisi sine manibus.* In illa ergo secunda circumcissione significatum est, post primam carnalem circumcisionem futuram fuisse secundam spiritualem, per Christum dandam; et ideo in illa sola servata est cultri lapidei cæremonia, quæ postea non est servata, neque in usum recepta, quia præceptum illud Jos. 5, solum pro illa vice, et ob specialem significationem datum est.

4. *Quod erat tempus ex præcepto circumcisonis præscriptum.* — *Circumcisio die octavo fuit de necessitate præcepti, non vero sacramenti.* — Tertia pars illius ritus explicatur a D. Thom. in solut. ad 3, quæ est de tempore ad circumcisionem præscripto, quod constat fuisse octavum diem. In qua re primo certum est, illum diem fuisse necessarium, necessitate præcepti per se loquendo; quod ideo dico, quia poterat interdum ex legitima causa differri, v. gr., ob ægritudinem, aut aliud periculum; sic enim populus Israel in deserto multo tempore fuit sine usu circumcisonis, quia propter continuum iter non poterat sine multorum periculo convenienter fieri, ut colligitur ex Josue 5. Non reputabatur autem sufficiens causa ad differendam circumcisionem, quod dies octavus in sabbatum incideret, quia una lex cum altera non pugnabat, nec per sacramenti usum poterat sabbatum violari, Joan. 7. Secundo probabilis censet D. Thom. hic, eum diem octavum ita fuisse de necessitate sacramenti, ut ante illum exhiberi non posset; in quo sequitur sententiam Hugonis, lib. 4 de Sacram.,

part. 12, c. 2, quamvis, in 4, d. 1, quæst. 2, art. 3, non improbat sententiam Magistri ibi, qui sensit, imminente mortis periculo, potuisse circumcisionem ante octavum diem præveniri; tamen etiam ibi inclinatur magis in sententiam Hugonis, eamque confirmat auctoritate Glossæ, Prov. 4, circa illa verba: *Unigenitus eram coram matre mea,* quæ ait, priorem filium David ex Bersabea non numerari, quia incircumciscus mortuus est ante octavum diem. Rationem etiam adhibet D. Thom., quia præceptum, quod designat certum diem, non est implendum præveniendi diem; nam hoc potius esset illud transgredi; quod secus est de dilatione; nam si quis jam transgressus est differendo, debet, quam primum possit, illud adimplere. Aliter etiam id probari potest, quia, cum Deus illum diem designavit huic sacramento, hoc ipso voluit, neminem ante illam ætatem esse capacem ejus, sicut nunc dicimus de extrema unctione, quæ pro ægrotantibus instituta est, neminem extra illum statum esse capacem ejus. Tandem est bona conjectura, quod nulla poterat esse causa præveniendi circumcisionem, nisi periculum mortis; non erat autem pietati, nec misericordiæ consentaneum, per circumcisionem maturare mortem infantis in tam gravi periculo constituti; nam revera, moraliter loquendo, hoc fuisset illum interficere. Dices: ergo, si pater ex malitia vel ignorantia filium ante octavum diem circumcideret, illud non fuisset sacramentum, quia deesset illi aliquid essentielle; consequens autem apparet falsum, quia alias necessario privandus esset ille infans perpetuo sacramento circumcisonis, quia, ut sæpe ait August., circumcisio iterari non poterat, quia illa particula semel abscissa amplius non reparatur. Et quod quidam Judæi, aut Samaritani uti solebant instrumento ad pellem, seu cutem extendendam, ut iterum circumcidi possent, improbum erat, et, ut multi existimant, a Paulo damnatum 4 ad Cor. 7, dicente: *Circumciscus aliquis vocatus est, non adducat præputium,* ut indicat Epiph., lib. de Mensuris et ponderib., post medium; ubi originem hujusmodi abusus recenset. Respondetur, forte posse probabiliter dici, fuisse quidem de præcepto, ut dies ille non præveniretur, non tamen ita fuisse de necessitate sacramenti, ut, si præveniretur, sacramentum non esset validum, etiam si minister peccaret illud dando. Unde D. Thom. nunquam dixit, esse de necessitate sacramenti, sed solum non potuisse licite præveniri;